



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 3. Propria sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

illius spatium aduenit. Hæc solutio destruxit potissimum fundamentum opinionis constituentis durationem superadditam, quia si ad spatium imaginarium patet aditus, latissimus patet campus, quem tela propugnantium, durationes superadditas attingere nequeunt: dicam enim me existere in hoc tempore esse correspondere huic spatio imaginario; & magis, minusve durare esse correspondere maiori, vel minori spatio imaginario temporis, quod acriter impugnant qui durationes superadditas defendunt, ex eo quod spatium imaginarium non est aliquid reale adhuc negatium, sed primum signum, quod tantum habet esse obiectivum in intellectu, quod respectu durationis, quæ seclusa omni fictione extrinsecæ, vel intrinsecæ rem afficit, perinde est, ac si non esset. Doctrinam hanc de spatio imaginario temporis verissimam censeo quam de spatio imaginario loci probavi Controuers. 15. Puncto 2. & ita in omnium opinione secludendum est spatium imaginarium: illo ergo secluso dicant qui durationes ponunt esse modos reales, & physicos, cur durationes quibus successiue durat hodie & cras non poterunt inuicem ordine produci, ita ut prius existeret modus, ex vi cuius constituitur cras durans, & postea modus ex vi cuius durat hodie, ita ut prius duraret cras, quam hodie, quod absurdissimum esse, & naturis rerum repugnans esse non nego, sed intendo hoc absurdum, istudque obiectum in se repugnans inferri legitime ex sententia, quæ durationem constituit in modo aliquo ex vi cuius res producatur, vel qui rei iam productæ superueniat.

12 Alio modo qui parum à præcedenti differt, posses dicere durationem, ex vi cuius hodie durat esse essentialiter affixam huic temporis, & ita non posse adhuc antecederent in alio distincto ab isto produci, & sic de omnibus aliis durationibus. Contrà: deficiente hoc motu cælorum & alio loco huiusmodi existente, vel etiam deficiente omni motu, cuius duratio est tempus reale, possem ego habere eandem durationem, quam modò habeo: ergo hæc duratio nulli temporis reali est affixa: ergo ratione temporis realis potuit in quacunque mensura seu cum diuerso ordine prioris, & posterioris ab illo quæ habet cum duratione hesternâ, & crastina produci. Deinde duratio motus non distinguitur ab ipso tempore: ergo dici nequit durationem motus non posse produci cum alio ordine prioris, & posterioris ex eo quod sit temporis affixa. Instari solet exemplo præsentia localis, in quo faciliè disparitatem assigno: esse in hoc loco, vel in illo nihil aliud esse quam habere hanc vel illam præsentiam, ac proinde quotiescumque Deus velit hanc in me præsentiam producere, dicat esse in hoc loco, quod si simul cum hac præsentia velit aliam in me præsentiam producere, duplici affectus præsentia dicat esse in duplici spatio, quod in re nihil aliud est, quam duplex ubi, seu duplex accidens superadditum esse in me productum, ac proinde sicuti semper liberum est Deo duplicem, vel vnicam hanc, vel illam præsentiam in me producere, liberum est semper Deo me in duplici loco aut in hoc vel illo constituere: De duratione autem non potest ita philosophari, quia si dicatur esse in hoc tempore, vel in illo nihil aliud esse quam habere hoc, vel illud accidens, seu productum ex vi huius, vel illius actionis non potest sufficiens reddi ratio cur Deus non possit producere modò quamcumque durationem, & absque vlla interruptione hanc durationem immediatè post illam & me constituere durante anno trigesimo octauo dū reliqua entia durant anno 35.

13 Vltimò posset dici non posse modò produci durationem præteritam vel futuram, neque durationem crastinam immediatè post hesternam hodiernam non intercedere, quia durationes essentialiter petunt hoc ordine produci, & hæc esse priorem, deinde subsequi aliam, & illam posteriorem esse. Contra hanc solutionem insurgo sic. Hæc duratio, quam modò habeo, non petit aliam sibi immediatè antea præcessisse, neque aliam succedere post istam, quia potuit esse prior, & potest esse posterior omnium, quas habebam, potui enim incipere in hoc instanti, & tunc hæc duratio esset prior, & possum desinere in instanti venturo & tunc eadem esset posterior: ergo talis ordo prioris, & posterioris essentialis non est huic durationi. Dices non esse essentialiter absolutè hunc ordinem durationi, sed tantum ex suppositione, quod producendæ sint durationes aliæ, quæ si producantur non poterunt non hoc ordine produci. Contrà: durationes petere hoc ordine produci, cur etiā

si illum exigant non poterit Deus contra exigentiam illarum hunc ordinem inuerrere? Secundò cur omnes hæc durationes, quæ cum hoc ordine inceperunt à die hodierno non potuerunt eodem ordine à die crastina incipere: quod si posset contingere, durationes ipsæ indifferentiam haberent ad existendum in hoc tempore potius, quam in illo. Hæc contra opinionem constituentem in modo intrinsecè superaddito rei duranti, siue distincto, siue identificato cum actione, ex vi cuius producitur.

14 Contra opinionem Patris Lugo constituentis durationem in actione essentialiter successiua præter difficultates, quas suprà expendi, obici potest, non esse de conceptu essentiali actionis distingui à termino, & ita posse actionem identificari cum termino ex natura sua immanenti ut absolute de omni actione dicebam Controu. 12. Punct. 1. Secundò difficile in Theologia poterit componi meritum nostrarum operationum, quia cum actus voluntatis qui meritorij sunt formaliter includant actionem, & in hac totum exercitium nostræ libertatis consistat, si actiones sunt essentialiter successiue & singulis instantibus singulæ actiones correspondeant sequitur hominem elicientem actum amoris duranter per octo temporis instantia elicere octo actiones numero adæquatè distinctas, & consequenter octo amoris actus, quorum cuilibet distinctum præmium correspondet, non solum ratione circumstantiæ distinctæ, sed etiam ratione substantiæ amoris, qui secundum substantiam distinctus est in quocumque instanti à reliquis, qui sunt in aliis temporis instantibus, & in opinione Aristot. cum in quacunque mensura temporis existant infinita instantia, infinitos amoris actus eliceret homo, in quacunque parua temporis mensura, in qua amorem eliciat; & cum cuicumque ratione substantiæ actus, est illius duratio sit instantanea, distinctum præmium aliquorum correspondeat, infinitis actibus infinitæ partes aliquotæ gratiæ in præmio respondebunt, & ita homo per quodcumque opus meritorium durans tempore valde exiguo infinitam gratiam consequetur, quod absurdum est.

Hæc in communi sententia faciliè componuntur, quia ille, qui per integram horam perseuerat in eodem actu, eundem exercet secundum substantiam in omnibus instantibus, & ita cum in primo, & secundo instanti substantia actus non est distincta, non illi correspondet distinctum præmium, neque est peccatum distinctum secundum substantiam, sed tantum illi accrescit malitia aut bonitas ratione circumstantiæ, & cum respectu cuiusque instantis, seu partis proportionalis circumstantia aliquota non sit, ita non illi præmium aliquotum correspondet. Reicienda ergo est sententia P. Lugo, quia præter difficultates, quas patitur totam commouet Philosophiam, ac Theologiam. Tandem utramque sententiam euertent rationes, quas iam exhibeo ad producendum durationem non esse aliquid intrinsecum superadditum.

§. III.

Propria sententia.

15 ASpero cum sapientissimis Patribus Vasq. Soar, Mol. 16 Valen. à quibus sine vrgentissima ratione numquam recedere audeam, durationem non esse accidens intrinsecum rei superadditum, sed eandem entitatem per se ipsam, & per connotationem extrinsecam ad tempus actu, vel potentia existens, durare & constitui in tempore, & in hoc præ alio. Priorem partem conclusionis videlicet durationem nihil reale intrinsecum importare sic probò: eò ipso præcisè quod intelligatur creatura existens, & tempus extrinsecum constituitur creatura coexistens tempori extrinsecum: ergo constituitur in tempore: ergo constituitur durans: ergo non indiget alio accidenti superaddito. Antecedens probò: coexistentia nihil aliud est quam vtrique existentia extremorum coexistentium: ergo eo ipso quod intelligatur existentia creaturæ, & existentia temporis, seu illius possibilitas intelligitur coexistentia rei & temporis actu, vel possibilis. Consequentiam probò, esse in tempore nihil aliud esse, quam coexistere tempori, sed per existentiam rei, & temporis intelligitur hæc coexistentia quocumque alio secluso: ergo quocumque alio secluso intelligitur res in tempore existens.

17 Confirmo eandem conclusionem: entitas ex se indifferens ut duret in hoc tempore vel in illo, in sententia con-

E c 2 stitueret

stituentem durationem superadditam determinatur per accidens illi intrinsece superadditum, ut sit potius in hoc tempore, quam in illo: ergo poterit eadem ratione determinari per aliquid extrinsecum secluso quocumque alio intrinseco. Dices durare esse aliquid intrinsecum, ac proinde non posse creaturam per aliquid extrinsecum determinari ad durandum. Contra: etsi creatura determinetur ad durandum per aliquid extrinsecum, illud extrinsecum non erit totum id, quod dicit creaturam durare, neque tota ratio durationis, quæ essentialiter includit rem durantem: ergo etiam si duratio sit aliquid intrinsecum poterit ultimum determinari per aliquid extrinsecum, dum dicat aliquid rei intrinsecum, quod in mea sententia est ipsa entitas, quæ durare dicitur, quia nihil magis illi intrinsecum. Confirmatur: durare est coexistere tempori actuali, vel possibili, coexistere dicitur existentiam utriusque extremi: ergo dicit existentiam rei durantis illi nimis intrinsecam, & dicit tempus reale actuale, vel possibile: ergo dicit aliquid intrinsecum rei duranti, & aliquid illi extrinsecum, per quod determinatur entitas ad existendum potius in hoc tempore, quam in illo, quod rei duranti nimis extrinsecum est: quid enim mea, dum eandem existentiam habeo huic, vel illi tempori respondere?

18 Arguo iterum pro eadem parte. Si daretur duratio superaddita ante ipsam supponeretur entitas in hoc tempore ergo talis duratio esset superflua. Probo antecedens: ante durationem deberet supponi entitas in actu primo tanquam causa materialis illius, sed in illo priori deberet supponi existens in hoc tempore: ergo ante durationem supponeretur entitas durans. Probo minorem: entitas ante durationem prioritate naturæ debet supponi in aliquo tempore; non in præcedenti, neque in futuro, quæ non sunt: ergo in præsentis. Dices ad durationem recipiendam, ex vi cuius entitas supponitur durans, non debere supponi rem durantem, sicuti neque debet supponi præsens ad recipiendam præsentiam. Contra: entitas ad hanc durationem non supponitur in aliquo tempore, sed sufficit supponi secundum suam nudam existentiam: ergo ex eo quod futura sit illius existentia etiam si modo non sit, poterit modo suam recipere durationem, & modo durare. Dices ad productionem huius durationis in instanti B, requiri immediatè durasse in instanti A, quia durationes petunt hoc ordine produci. Reieci hanc solutionem num. 13. lege quæ ibi scripsi. Alij dicunt ad hanc durationem supponi entitatem prius naturæ existentem in hoc tempore, non positivè, sed negativè. Hos rogo: per quid constituatur entitas negativè existens in hoc tempore: necessum est dici constitui per suam existentiam & per existentiam spatij (do tibi modò esse tale spatium) vel temporis actu, vel potentia fluentis: ergo hæc existentia in tempore, quam tu negativam vocas, dicitur ex parte subiecti entitatem positivam rei durantis, & ex parte temporis, vel spatij entitatem spatij, vel temporis quæcumque illa sit: ergo ex parte subiecti non est negativæ, sed positivæ: ergo nulla alia est necessaria, ut intelligatur entitas absolutè durans per suammet positivam entitatem, & aliud extrinsecum connotatum, quodcumque illud sit.

19 Secundam partem conclusionis videlicet durationem dicere supra entitatem aliquod extrinsecum connotatum facile suadetur, quia duratio hodierna & hesternæ distinguuntur: entitas durans hodie, & heri est eadem: ergo aliquo modo distinguuntur entitas, & duratio, non per aliquid intrinsecum ut probavi: ergo per aliquid extrinsecum. Secundò magis duraui hodie, quam heri duraveram: ergo productior, & auctior est mea duratio hodie, quam heri: non per meam entitatem præcisè sumptam, quia heri, & hodie est eadem: ergo per aliquid distinctum: non intrinsecum: ergo extrinsecum. Hoc extrinsecum esse tempus reale fluens actu vel potentia probatur ex eo quod spatium imaginariū esse non possit, cum sit quid chimæricum, & fictitium: ergo nihil aliud potest assignari, ratione cuius dicatur entitas potius durare in hoc tempore quam in illo, & maiorem vel minorem habuisse durationem. Hanc coexistentiam, seu connotationem magis explico: tempus, ut constabit ex dicendis Puncto 3. nihil aliud est quam partes motus successivè fluentes cum hoc ordine prioris, & posterioris, ita ut in eadem mensura, in qua una corrumpitur, producat altera, & ita perpetuò sine intermissione, & sine aliqua partium coexistentia fluat.

Vnde eo tempore res durare dicitur, cui coexistit, & ita durare hodie nihil aliud est, quam hanc entitatem existere, & existere fluxum partium motus cum hoc ordine prioris, & posterioris, & durare magis, vel minus est, coexistere pluribus, vel paucioribus partibus motus. Dixi enim durare esse coexistere partibus motus actu vel potentia fluentibus, quia ut ego durem hodie non requiritur tot partes motus actu fluere mihi quæ actu coexistere, sed quod possint fluere, vel quod si fluerent mihi possent omnes coexistere, siue absolutè possint, siue non possint: unde etiam si implicaret omne tempus reale eodem modo durarem ego per hunc annum, quia ex parte mei omnes partes motus successivè fluentes, quibus annus constat, mihi possent coexistere, & de facto coexistere, si ipse de facto existerent cum ordine prioris, & posterioris requisito ad hunc annum constituendum. Aduerte etiam hanc meam durationem hodiernam non dicere ordinem ad has numero partes motus, quæ de facto sunt, quia si loco illarum aliæ producerentur, eadem permaneret, sed tantum dicit ordinem ad tot partes motus, has, vel illas cum hoc ordine prioris, & posterioris respectu aliarum, quæ sunt priores, & posteriores illis, quæ in hoc ordine constituit tota ratio temporis, ad quod dicit ordinem duratio, ita ut si partes motus, quæ heri præcesserunt partes hodiernæ motus inuerso ordine essent productæ, & illæ quæ prius fuerunt productæ posterius producerentur, & è contra, partes motus, quibus constabat dies hesternus, diem hodiernum constituerent, & diceretur idem dies, & partes motus, quæ hodiernum diem componunt eundem diem hesternum efficerent, quæ aliæ constituerunt, & etiam si partes motus, quæ heri præcesserunt, hodie repeterentur, constituerent diem hodiernum distinctum ab hesterno per diuersum ordinem prioris, & posterioris, ex quo sumitur tota temporis diuersitas, non ex materiali indiuiduatione partium motus, quia per accidens est respectu huius diei constare his, vel illis partibus, & tantum dicit constare tot partium numero cum hoc ordine prioris, & posterioris. Eadem ratione hoc numero instans non dicit hanc numero partem motus, sed unam partem hanc, vel illam cum hoc tamen ordine prioris, & posterioris. Doctrinam hanc meti profunde assige, est enim potissimum fundamentum omnium, quæ in hac materia tractantur, ex qua difficillima solvuntur argumenta.

§. IV.

Difficilis obiectio expenditur, & soluitur.

Obiectio. Durare, est correspondere partibus motus sed 10
eisdem partibus motus possunt respondere hodie, & cras, quia eadem partes motus, quæ sunt hodie potuerunt produci cras & non hodie: ergo possum habere cras eandem durationem, quam habeo hodie: Virgeo, durare est correspondere partibus motus actu, vel potentia fluentibus, pono nullas fluxisse heri, neque hodie, & arguuntur sic eisdem partibus motus, quibus heri potui coexistere possem coexistere hodie, omnes enim posibles partes motus indifferentes erant ut producerentur heri, vel hodie: ergo per ordinem ad partes motus non possunt distingui duratio hodierna & hesternæ, cum partes, quas utraque duratio connotat sint eadem, in super duratio ex parte subiecti eadem est: ergo ex nullo capite distinguitur duratio hodierna ab hesternæ, casu quo nullæ partes motus fluxerint heri & hodie: ergo etiam si fluxerint, quia fluentibus & non fluentibus partibus motus mea duratio hodierna, & hesternæ eadem est.

Ex doctrina tradita paucis possem huic difficultati satisfacere, quia tamen est omnium grauissima, quæ in hac materia possunt occurrere, in illa expendenda aliquantulum immorabor. Rem ita componunt Magistri doctissimi, asserunt diem hodiernum non constitui per hunc motum secundum se consideratum, sed per motum denominatum extrinsecè à partibus, quæ ante illum fluere potuerunt. Vnde tempus hoc non est hæc pars motus, quæ modo contingit, vel contingere potuit, quia eadem potuit crastina die aduenire, ut rectè probat obiectio, sed est hæc pars motus cum denominatione extrinseca, ut ante illam potuerint præcedere tot partes motus, non plures, neque pauciores. Vnde si eadem pars motus, quæ est hodie, sit cras, non erit idem tempus, quia plures partes potuerunt illam crastina 11
die